



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 8. Potest-ne Sacerdos consecrare speciem unam sine altera?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

terminatæ quantitatis: unde Panis, & vinum possunt in quantalibet quantitate, validè tamen, si aliquando non licitè, consecrari; licèt enim quantitas materiæ hujus Sacramenti per comparisonem ad usum fidelium determinetur: quia cujusvis materiæ determinatio ex fine propter quem assumitur petenda est: attamen non potest materiæ quantitas per comparisonem ad usum Fidelium tunc occurrentium determinari: *Alioquin*, inquit Divus Thomas, *Sacerdos paucos Parochianos habens, non posset consecrare multas hostias, unde requiritur; quod materia hujus Sacramenti determinetur per comparisonem ad usum Fidelium absolutè. Numerus autem Fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici quod quantitas materia hujus Sacramenti sit determinata.*

D. Tho. 3. p.
q. 74. art. 2.
in corp.

Sacerdos igitur, qui quantitatem nimiam consecraret, id est, in longè majori copia quàm Fidelium qui communiter occurrunt, vel occurrere possunt, aut solent, usus postulat, validè quidem Sacramentum perageret: at illicitè & sacrilegè tamen, utpote qui venerabile Sacramentum certæ corruptioni specierum sine causa exponeret.

Quæst. 8. Potest-ne Sacerdos consecrare vinum non consecrando panem, vel panem non consecrando vinum, saltem imminente aliqua extrema necessitate?

Resp. Validè quidem una species sine altera consecrari potest, nunquam tamen licitè; validè inquam, quia statim ac verba consecrationis Panis prolata sunt, continuò sub speciebus illius existit Corpus Christi; verba enim cum producant quod significant, statim atque Corpus Christi expressis verbis significatur, sine mora adest: unde & confestim Hostia propo-

De Sacram. Euchar. Cap. III. 141
nitur adoranda. Nunquam tamen unam speciem sine alia consecrari licet, quia non licet alio modo Eucharistiam consecrare, quam eam Christus consecrandam imperavit: at Christus utramque speciem indivisim consecrandam præcepit, ut ait Concilium Tridentinum. *Christus Corpus & sanguinem suum sub speciebus Panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituabat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepit per hæc verba: HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM: uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Sess. 22. c. 17

C A P U T I V.

De Forma Sacramenti Eucharistia.

Quæst. 1. QUÆNAM est forma consecrationis Panis?

Resp. Consistit essentialiter in his solis verbis; *Hoc est Corpus meum*: ut enim ait Catechismus Concilii Tridentini; *Itaque à sanctis Evangelistis Mattheo, & Luca, itemque ab Apostolo docemur illam esse formam, Hoc est Corpus meum*: Igitur nec particula enim, nec alia verba sunt de essentia consecrationis. 1. p. De Euchar. Sacramento n. 10.

Quæst. 2. Sacerdos omittens particulam enim in consecratione, peccaret-ne?

Resp. Ex Divo Thoma. *LY ENIM sublatum non tollit debitum sensum verborum. Et ideo non impedit perfectionem Sacramenti; quamvis possit contingere quòd ille qui prætermittit, peccet ex negligentia vel contemp-* D. Th. 35 p1 q. 60 art. 2 in corp.